Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37116
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



corrigat Vel dic quod beati patris benedicti institutio dicitur
regula quasi regalis gloria eo quod suos observatores ad ce-
lestis regni gloriam perducat Et notandum quod hoc nomen
regula diversimode accipitur Unde grammatici habent regulas quas
sic quoddam generale ponunt. Hoc idem et alie artes
faciunt. licet nonnunquam eedem exceptiones regule paciantur.
Philosophi etiam normas quas assumebant vivendi regulas
appellabant sicut ait seneca Unam vivendi regulam
semel prende ad quam omne vite tue distortum
exequa Sed hec regula monastica est sicut illa sancta ap-
ostolica de qua beatus paulus ad galathas ait Qui-
cumque hanc regulam secuti fuerint pax super illos et misericordia
Monachorum

## Capitulum Primum

Monachorum quatuor esse
genera manifestum est

Istud est ac si diceret Manifestum est quod quatuor modis
conversantur illi qui dicunt se esse monachos Hoc nomen
monachus pro genere ponitur Nomina vero quibus eos beatus
benedictus nominat huius generis species appellantur Descrip-
turus regulam pater noster genera seu conversandi modos pul-
chre distinxit ut et ipsius intentionem in ipso exordio
cognoscamus et quid vitandum quidque sequendum ex ipsis
distinctionibus sit videamus Iam superius in prohemio
tactum est quid est monasterium quidque cenobium Unde